



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Qua ratione discipulæ sanctorum patrum, hoc est, moniales,
commouendæ sint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

regulis etiam mortui instituunt, sermonem habere non solent clerici. mutuo enim inter se religiosi viri, & in doctrina scholastica, & in omni literarum genere versati, se docent.

Qua ratione discipulæ sanctorum patrum, hoc est, moniales, commouendæ sint.

Cap. XXXII.

AD discipulas eorum, quos nominavi, sanctorum, hoc est, moniales, quidã iussu episcopi, sermonem habere consueuerunt: cum quibus ita agere debent, ut interdum ad metum, ad gaudiũ, reliquasq; sanctas affectiones, ut vile iudicauerint, excitent. Dicant, monachas in monasteria se abdidisse, non solum ut relictis parentibus, propinquis, et omnibus rebus secularibus, Dei præcepta ad salutem necessaria commodius obseruarent; sed etiam Euangelica consilia, quæ sunt, paupertas voluntaria, castitas perpetua, & obedientia integra, quæ ipsa Deo uouerunt, exequerentur. Quarè oportere, ut quemadmodum sanctus scriptum reliquit Basilus, qui balneum intrant, omnibus vestibus se spoliant; sic quæ, colendæ pietatis causa, monasteria ingrediuntur, statim omne pecuniarũ & ceterarum rerum seculariũ desiderium, omnes carnales cupiditates exuãt, & propria se uoluntate abdicent. Ad illas accommodari possunt illa uerba: Cùm votũ uoueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requirit illud Dominus Deus tuus: et, si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatũ, Et illa, Audi filia, & uide, & inclina aurem tuã, et obliuiscere domũ patris tui, quia concupiuit rex speciem tuã. Et quæ à B. Apostolo scripta sunt:

Despon-

Despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo. Atque ad excitandam in illis sanctam quandam letitiam, declaranda sunt illa verba: O quam bonum, & quam iucundum est habitare fratres in vnum; eas veluti sorores vnum in locum esse coactas, vt earum vna sit voluntas, vna sit religio, vna sit charitas; omnia denique sint communia, & ita habitent in domo Domini omnibus diebus vite sue: eis licere, in choro Deum alloqui, et in terris degentes, caelestem vitam ducere: Monasteria, si in ipsis sit pax & concordia, esse instar Paradisi; sin discordia in eis disseminata sit, esse instar inferni: nullam esse nobilitatem, quae cum nobilitate sponsarum Christi possit conferri: nullam beatitudinem in hac vita reperiri, eius tantum imaginem in monasterijs apparere. Commemoranda etiam sunt commoda, quae sentiunt; incommoda, quibus carent, non distrahi varietate negotiorum, non perturbari domesticis calamitatibus; non victum quærere, non discordias coniugum, dolores parturientium, molestias filiorum perpeti: cum Deo, non cum improbis hominibus, vt in hoc seculo viuentibus accidit, sermonem habere.

Quomodò humanarum scientiarum magistri excitandi sunt.

Cap. XXXIII.

MAGISTROS humanarum scientiarum ac artium excitabit orator ad ea, quae ipsi didicerunt, alijs impertienda: communicanda esse diuina munera; tanto magis crescere artes & scientias, quanto magis communicantur: quam facillimè & breuissimè fieri possit,